

73. Estnè *DEUS* genus? Demonstravimus alibi, & quidem rationibus, quæ à nullo hominum refutabuntur, in *DEUM* genus Logicum non cadere. Quomodo igitur in termino isto (*DEUS*) fingetur Synecdoche generis?

74. Neq; reliquæ duæ species Synecdoches locum hîc habere possunt ob datam rationem, quia sunt oppositæ & contrariæ. Deinde quia quilibet intelligit, *DEUM* formaliter non humanitatem, sed Deitatem notare. Falsum igitur est, poni *DEUM*, ut integrum pro parte; sed eodem modo, ut in altero exemplo accipitur pro totâ personâ, nempe pro *DEO* incarnato. Nam propterea, quia *DEUS* incarnatus est, de eo rectè & verè prædicatur & dicitur, quòd sit homo. Dici enim requirit inesse.

75. Luce igitur meridianâ clarius est, propositionum harum terminos nullam omnino in se continere talium figurarum, quales adversa pars fingit & pingit: ideoq; prædicationes ipsas figuratas non esse.

76. Materiali igitur, ubi omnes termini suam genuinam significationem retinent, relicto; de formali, hoc est, de subiecti & prædicati connexionem quæritur: *num illa sit usitata, hoc est contineatur sub modo quodam vulgari & dialectico: an verò respectu Logice prædicationis, rectè dicatur inusitata.*

77. Hoc problema rectè explicatur & deciditur partim ex scriptura, partim ex Logicâ. Oportet enim, ut harum propositionum personalium verû intellectum ex sacris literis sumamus, illumq; ad modos prædicandi Logicos applicemus: & tum, an detur similitudo, vel dissimilitudo, judicemus.

78. Notandum igitur primùm, in quo consistat præ-